

autem, postquam anima ad corpus redierit, ab ea quesierit, quid dixerit in transitu illo, nescire se aliquid dixisse asserit, velut somnians fortuito loquens evigilans nescit, quid dixerit. Post hæc multitudo populorum, quæ illam sequitur, ei offerre festinat et ei peccata sua confitetur, et que ei offeruntur, pauperibus erogare iubet, nil sibi retinens. Si quis autem ad comedendum ei aliquid dederit, quicquid sit, comedit parum tamen et dicit se nunquam comesturum, nisi pro evitando scandalo. Deinde frater noster magister Provinciæ, qui hæc nobis retulit, quando ab ea discedens ad nos venit, secreto ab ea quesivit, pro quibus peccatis plures dampnantur apud inferos. Ipsa vero dixit, quod pro superbia, luxuria et usura, et assidua perseverat in orationibus et lacrimis, non pro suis, quam nullo modo putant peccare, sed pro sceleribus impiorum. Episcopi autem partium illarum et sapientes religiosique viri multum eam appreciantur et ei per omnia favent. Ipsa vero maxime ecclesiam et clericos diligit et veneratur, quamvis ei multa tormenta intulerunt. Nam plumbum ferventem¹ et calidum ferrum inter scapulas et in plantis pedum temptando miserunt. Ipsa vero immota velut lapis manebat. Hæc audivimus et multa plura, que vobiis nequaquam scribere possumus, quæ vobis ore ad os deo favente loquar.

1) So Hs. für 'fervens'.